

35 an 48 1121
SAMUELE NEANDRI
MARCHIACI

DE

CONJUGIO SE-

NUM DECREPITORUM CUM JU-
VENCULIS SUCCIPIENIS

DISCURSUS

POLITICO-JURIDICUS

Oppositus

Libello famoso levissima nota hominis VINCENTII

Silvius alias

P. N. P. C. S.

Tiraquell. l. 6. conub.

Senex amator, extremum infortunium.

✠ ✠ ✠ (o) ✠ ✠ ✠

✠ ✠ ✠ ✠ ✠



ANNO

M. DC. XXI.

unten in der Hand

SAMUELIS NEANDRI
MARCHIAE

DE

CONJUGIO SE-

NUM DEGRIPITORM CUM JU-
VENGUIS SUCCEPENS

DISCURSUS

POLITICO JURIDICUS

OPTIMA

Libellus juris in forma non bene videtur
Simpliciter alius

P. N. P. C. S.

Thomae A. d. com. A.

Sequitur ad extremum infortium.

1717 (1717) 1717

5

XXV

M. DC. XXI





AD LECTOREM

Drodierunt ante annum sub ficto & picto Johannis Nigri nomine Lector benevole, in lucem, cantiunculæ quædam amatorix, rhythmis conferru minata & Venerum elegantiâ satis superque refertæ. Has licet multi docti adolescentes elegantesque puellæ, quibus æquior Venus aures vellicat, quique è meliore luto effecti, ambabus ulnis amplexati & iis non mediocriter delectati fuerunt; nec defuerunt tamen quidam literarum abortus vultorios oculos gerentes atque portenta ex omni vitiorum fece & colluvione concreta, quæ tristissimis Furiarum ululatibus impulsæ nec erubuerunt, nec exhorruerunt acerbitatis suæ virus in me (ac si ego cantilenas consarcinassim) evomere, & tam virulentis calumniis me conspurcare, quantas ipse Pluto Charontæis stimulis actus ex imo impietatis atque improbitatis barathro eructare atque evomitare vix potuisset. Libellum famosum fustigatione dignum contra me conscribillarunt conviciorum spinis & injuriarum felle plenum. Hunc cum nuper in manus meas accepi eumque; nō

in interiore effertur. *non potui*
sine indignatione perlegi, non istis nebulonibus
vehementer irasci & de vindictâ cogitare.

Totum autem litis fundamen in eo positum
esse animadvertens, Num rectè vir decrepito senio
confectus, deque ponte dejiciendus in matrimonio
um ducat juvenem puellam? Mearum partium esse
se duxi de Conjugio senum cum juvenculis aliquid
in lucem dare, cum ut amicis quibusdam, id a me
postulantibus (quibus resistere semper nefas esse
dixi) morem gererem; tum ut levissimis Pasquili
authoribus (sive illi sint LL. Studiosi, sive vulpecu-
læ Scholasticæ abominandum auditu / ferulæ sub-
jectæ) ora occluderem: tum denique ut veritatem
de hac difficilimâ materiâ eruerem. Et quamvis
ante annum hæc res à me in Disputatione quâdam
sit tractata, id tamen factum nec plenè, nec forsan
satis aptè. Plenius in hoc discursu sum factururus &
citra ullius injuriam veritatem prolaturus, nec cu-
jusvis famam (de quo solenniter protestor) lacerato-
riis laceratum, iturus. Hoc ad mone-
re te & volui & debui.

Vale.

✠ (o) ✠
(✠ ✠ ✠)
✠

DI.



DISCURSUS.

Durimos hoc nostro ævo mirabili & miserabili inveniri senes amantes, FORMARUM SPECTATORES EGREGIOS, nemo, nisi cui mens amens, aut qui talpâ cæcior & oculis lippiens negatum ire potest. Amatum vixulum. Nam & matrimoniis & puellis despectum est senium. Nullius siquidem amore tenentur bellæ puellæ, nisi quem viderint ætate florentem, viribus præstantem. *Aneas Sylv. ad Marian. Socin.* Juvenes delectat terrestris ille DEUS, igneus puer, flammeus Cupido, & tenera corda depascit: nihilque senectute est deformius, quæ Venerem adfectat sine viribus, & tantum apta nuptiis quantum bruma messibus. *Pors. instit. de nupt.* Labet igitur hisce canicularibus diebus, quibus alii Baccho nomen dant suum: alii Gallici Nasonis opera evolvunt & excutiunt; alii apud venustioris formæ virginellas; quibus hæc nostra Academia referta, blandidulis risibus, svavidulis colloquiis, formosulis basiationibus dies terunt utiliori instituto in conjugium senis cum juvene puellâ aliquanto altius mentis acumen figere, illudq; tanquam erroneum naturæ & juri contrarium examænissimo Cypriæ Reginae regno proscribere.

Ne autem sine certis cancellis & terminis, quibus includatur nostra assertio, rem ordiamur, ante omnia in amænissimum sacrarum literarum campum exspatiari lubet, unde & jucundam & gravem simul, sapientissimi creaturæ tam nobilis (MULIERIS) architecti sententiam expro-

mere facile est. Et cum in gravioribus causis maximo-
 pere in finem sit inquirendum, non etiam hic temerè
 quæritur, Quinam conjugio, in amantissimis Elysiis cam-
 pis à Deo opt. Max. appositus sit finis? Non autem desu-
 dandum esse nimio opere in enucleandâ quæstione apertâ
 existimo, cum verba sint perspicua & haud ullâ subtili in-
 terpretatione indigentia, quæ nobis sobolis dulcissimæ
 procreationem non commendant solum, verum ita com-
 mendant, ut eâ universum terræ globum, ne quæ ejus pars
 inculta & vestigiis humanis ignota maneat, repleamus.
 Hisce adstipulantur jura civilia, quæ de feminei generis
 munere agentia pronunciare non ambigunt, feminarum
 esse concipere. *l. queritur 14. § 1. ff. de edilit. edict. l. 2. § 1. C.*
de indict. viduis. tollend. Et quid de voce illâ cedro im-
 mortalitatis digne & aureis apicibus perenandâ Hadriani
 Imperatoris sit sentiendum, quando ait, se malle homi-
 num adjectione, quam pecuniarum copiâ & acervo am-
 pliari imperium *l. cum ratio 7. ff. de bonis damnat. cujus*
libet relinquo iudicio. Nec ignota sunt plurima sapientissimorum legum
 latotum hæc de re statuta, inter quæ nescio annon princi-
 pem sibi locum vendicet & familiam ducere videatur il-
 lud, quod legis Papiæ Poppææ nomen accepit, cavens &
 seriò statuens, ne quis è sexagenariis, qui per ætatem quan-
 doque delirant, viraginem non dico quindecim aut octo-
 decim annorum, quod hodie in Respubl. pro pudor!
 impudentissimè introducit, verum vix quinquagena-
 riam, sibi arctissimo matrimonii nexu copulet. O clarâ,
 egregia & eximia lex dyptico aureo an eburneo? carior!
 Quis te nunc nobis ventus abstulit? in quo orbis angulo
 delitescis? suasu cujusdam regnantis femine abrogata,
 & in corpus juris haud es inserta? exoptandum esset ut
 plenis

plenis velis iterum adducereris & in excelso quodam loco
omnibus conspicienda colloceris. Sed votum vanum &
vix sperandum /

Interim forsitan apud extremos Garamanthas vigorem
obtinebis tuum. Quid vero de jure canonico dicendum?
in eo certè tria matrimonii recensentur bona, Fides nimirum,
Proles & Sacramentum *omne itaq; 27. q. 2. Cur. cōf. 66.*
Jason. in l. 1. ff. solut. matrim. Et deficiente uno nullius ro-
boris esse matrimonium perbenè tradit *Prepos. in c. tante*
col. 3. C. qui filii sint legitim. Movere nos in primis poterant
brevissima, sed doctissima Augustini verba, qui adfirmare
non erubescit, hanc potissimum ob causam mulierem nu-
bere viro, ut mater fiat, quæ sententia præter eum assertor-
es habet plures, ex quibus infinitis apponimus *Gellium*
l. 8. Noct. Attic. c. 6. Isidorum lib. 9. Etym. cap. de conjug. Borcb.
instit. de nupt. in princ. Jam vero quis rerum omnium tam
ignarus in hoc mundi systemate versatur, qui adstruere
non dubitet, seni generandi facultatem suppetere. Hoc
qui ait, certè nihil aliud agit, quam omnia jura divina &
humana commiscet, dignus qui cauterio crassæ ignoran-
tiæ notetur, & ab eruditorum conventu explodatur. Ubi
enim seminis prolifici vis effœta, ibi nec grata Veneris la-
scivientis opella, & per consequens nec sobolis suscipien-
dæ relinquitur fiducia.

O igitur caput senis Antyciram mittendi insanabile,
quod audeat ex cerebello suo negare, quod sapientes non
ficulneis aut stramineis hætenus confirmarunt argumen-
tis: imo & rationi ipsi bellum indicere non veretur, dum
expulso omni judicii acumine, contrarium planè sentit,
tētat, & in effectum producit. Verè sunt sicci & frigidi mo-
rosi isti senes, quibus & ratio ita friget, ita exsiccatur, est cere-
bellum ut nihil quicquã veritati cōsentaneum agat, verum
malunt

malunt semper, pro more, contrarii esse, si quid ais, negant:
si negas, ajunt & pueriliter ludunt ac eluduntur. Inde eru-
itur quā sint idonei ad obeundum munus venereum capu-
lares, qui nec facultatē, nec facilitatem generandi obtinent
ullam. Notandum etiam illud, quod etsi jocosum primā
fronte esse videtur, non tamen nullam probandi vim de-
fert, haud scilicet sufficere illis, quod super ripam Ache-
rontis vitulus defessus de pactus sit, nisi antrum sub intrave-
rit *Prepos. in c. fratern. in pr. de eo qui cognov. consangu. uxor.*
Port. instit. de grad. cogn. col. 3. Kornmanno in aureo tract. de jur.
virgin. c. 27. Et rectē negat Aristoteles verum posse fieri
coitum, sine egregiā erectione venerci (ut Plauti ore &
more loquar) nepotuli virginale claustrum intrantis
part. 4. probl. 23. Nec prætereundum quod Curtius ad *ait*
conf. 98. non sufficere semen emittere inter crura: & stul-
tum esset divagari huc illuc, imo & rectē ambulare si iter
non perficias, & hastam habere rectam sine effectu *Socin.*
in l. 1. col. 3 ff. Sol. matrim. vide Sylv. nuptial. c. 2. n. 12.

Hic non sine causā nobilis ventilari potest quæstio,
Unde dissensiones, unde rixæ, unde verbera conjugum ex-
sistant eorum, qui ut ætate sunt dissimiles, ita & moribus
longe dissimilimi? Huic decidendæ quæstioni, etsi vires
meæ sint impares, certum tamen est quod dicam. Con-
templamini quæso, matrimonii *negotium*, & quod res
est sine negotio invenietis. Senex enim qui cum insuf-
ficientem se cognoscit ad satisfaciendum uxori & solven-
dum debitum carnale, malè suspicatur, currit, recurrit,
coryphæos locat, & ipse etiam oculis suis lippientibus, sed
hac in re emissitiis & plusquam lyncceis utitur. Sed quid
fæmina ubi egregiam mariti fidem conspicatur? nititur
in vetitum cupitque negata, ejulat, flet, parentes perfidæ
coactionis accusat & non semel seni suo minatur exitium:
Ut

Vt ita fabulam, non seria agi crederes, si clanculum auscul-
taveris, Ad hæc accedunt graves gravissimorum virorum
sententiæ, inter quas prima se offert sapientiæ humanæ a-
quilæ, Aristotelis. 7. *Polit.* 17. statuentis, dissimilitudinem
istam matrimonium contrahentium maximas parere et
parare dissensiones atque discordias easque totam pertur-
bare domum graviter scripsit Augustinus in *Psal.* 33. un-
de iterum Aristoteles 7. *polit.* 16. inquit ita per leges soci-
andos esse conjuges ut simul & parere desinant & genera-
re. O igitur malè actum! ô pessime capiti istius consultum,
qui admonitionibus hisce vacuas non aperit aurium ædes
& lubenti animo veritatis sonum admittere gravatur, re-
spuitque Poetæ illud non illepidum: Si qua voles apte nu-
bere, nube pari. Præterea ut in milite integræ spectantur
vires, quibus & se defendere adversus ictum hostis & eun-
dem repercutere valeat: ita in amante qui sub vexillo Ve-
neris militat, A militia ergo senes cum dimittantur *Lucian.*
in *Tyr.* à Veneris quoque bello rectè appelluntur. Nam

Quæ bello est habilis, veneri quoq; convenit
ætas

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Quos periere duces annos in milite forti

Hos petit in socio bella puella thoro *Ovid.* 1. *eleg.*

Et: Militat in teneris annis amor hospes amænus

Est in canitie ridiculosa Venus

gloss. in c. cum in juveni verb. frequentius de præsumpt.

Quæ cum ita se habeant, ut certè se habent, nemo,
spero, succensebit, cum non mea verba sed aliorum appo-
suerim, quibus quisque facile, nisi cum ratione insaniat,

B fidei

fidem habebit. Quid ergo imprudentius sene virginelam teneram ambiente? quid infelicius? Non potest autē fieri quin misericordiā tangar. Nam mala fors hæc decrepitorum me etiam non leviter cruciat. Quare non invitus concedam, ut tandem, licet sint imbelles & repucrascentes, ducant sibi in uxorem virginem quæ tribus incedat pedibus, tres habeat in ore dentes, cui frons arata rugis, ubera pendula, caput tremulum, quarum, ut alibi, ita in hac urbe seges reperitur uberrima.

RETORSIO IN VINCENTIUM

Silq̄ Hut.

Sed ecce provenit jam ex adversariorum phalange monstrum aliquod, Cerberi soboles, novus quidam bombomachides, Poëta, inquam, larvatus & futurus Schyndicus, personatus Vincentius Silq̄hut/ qui non solum discursus nostri arcem magno cum impetu invadit, maximisq; tormentis eius mænia oppugnat, & ferè (si Dijs placeat) expugnat: verum etiam me ejusmodi onerare audeat injurijs & apertis mendacijs, quibus ipse refertus asinus (honor sit honestis auribus) ut bombis. Credo, ipsum ab Erynnæ ex orco productum & edoctum ut me laceraret injurijs quæ tamen certo certius in ipsum scelestum caput redundabunt. Profecto nisi tam potentes hostes, quos incubando alternatim ipsæ Furia, ut gallinæ pullos, excluderunt, è medio tollamus.

Jam maria & terras coelumq; profundum
Miscébunt: ô Dî talem avertite pestem.

Vi.

Videte, quæso, quibus aliqua honestatis scintilla
superest, videte ut me infamet furcifer! ut linguæ suæ
petulantis laxet fræna! ut cornua sua in me arietet, qui
cantilenas sub Nigri nomine in lucem emissas me fecisse
arguit, sed quam falsò, sciunt alii. O virulentâ hemuncio-
nis linguam, trifulco clavo cruci affigendam! quæ nefariè
effudit crassissima contra me mendacia. Num putas
egregie LL. studiose, me ideo à parentibus in peregrinas
Academias missum, ut tempus talibus nugis quibus te oc-
cupatum esse recognovi, perderem? perverse erras er-
rorem grandem. Scio enim nullam graviolem esse iacturâ
quam temporis cuius avaritia in laude posita juxta Sene-
cam. Pluribus hoc refellere haud opus esse arbitror. A-
perta enim mendacia in auras sunt mittenda ventisque
committenda. Nondum his contentus est scarabeus iste
impurus, sed plura ejaculat tela. Hem! non rectè scarabe-
um voco eum, qui oratoris titulum meruit, & alios alto
supercilio despicit, quippe qui dicit, me nihil quod lati-
nitatem spiraret componere posse. Ego, mi nugo fateor
& concedo me purioris loquelæ lecythos non adivisse
nec in viridem sententiarum hortum unquam intronissum
esse. Interim tamen in te quoq; Romanæ Eloquentiæ de-
sidero candorem, quippe cuius verba ses amo & papavere
nec adspetsa, nec thymo odorata & respersa, verum poti-
us cuius libet eruditi mycterisatum incurrentia. Vix verò
Ciceronem te legisse puto (licet sis ex ista familiâ quæ
se eum ad unguem tenere gloriatur) qui librum de Nati-
vitate Deorum citasti, quem ego in meo opere Ciceronis nò
reperio. Sed tu forsitan aliud ex Utopia exemplar attulisti. His
adjiciatur peregrinatio quâ in regiâ viâ quæ Witteb ducit
& alias innotuisti non solum rusticis aliquot quadratis, sed
etiam

etiam civibus nominis haud vulgaris: cognovisti multo-
rum mores, multas vidisti urbes ac si alter esses Ulysses πολυ-
τροπος. Loca autem quæ tu accessisti hæc sunt: Suebosium,
Grünberga, Züllichium, Rāmen / Schausdorff / Morzig /
Prato & denique Witteberga. Proh Deum atque homi-
num fidem! quanta locorum multitudo. Recte profecto
fecisti quòd ea sæpius reviseris, aliàs tibi nomina tantæ co-
piæ excidissent, quod propter occupationes schyndicales
non unas, fieri facile potuisset. Benè scilicet abs te calcata
est via hæc, & quidem singulo mense ad minimum semel.
Nunc nobis opus esset calculatore aliquo egregio, qui sup-
putaret quot annos, imò quot menses vixeris in Witte-
berga. Sed annum produci posse persuaderi mihi non pa-
tior, qui toties paternum revisisti focum, descende igitur
in te ipsum & fateri ingenue, si quis ad huc in te candor,
annon sis Dominus de pennâ (ein guter / grober / langer / star-
cker Penal) quem te esse si ambigis habeto tibi testimoni-
um ex l. 16. § 3 ff. de publ. & vectigal. Ito nunc, calamariæ,
obtrude mihi peregrinationes inquires, Si Francofurtum
totus esset terrarum orbis valde me peregrinatum esse.
In pluribus equidem Academijs (quod citra ambitionis
notam dico,) me vixisse cogitato Wittebergensi scilicet,
Ienensi & Lipsiensi, quàm tu unquam visurus eris. Addis
insuper parentum me evacuare cistas & loculos in res non
necessarias pecuniam erogando. Num existimas, Marru-
cine, quemque ter uncio posse vivere, ut tu hæcenus in
Academia vixisti. Optares equidem plura, nisi unde ac-
quirenda sint, ignorares. Interea vivis olusculo conten-
tus & cœnâ, ut in proverbio est, inemptâ. O te crassum
Silshut! sive jam à convitiis, sive ab invidendo & avaritiæ
nomen traxeris. Conveniunt rebus, inquit Poëta, no-
mina sæpe suis, Et tuum tibi. Germanis enim einen aus-
flagen

filium vituperare est, & si quem avarum notare volunt vulgari illum nomine appellant einen fargen Silz / hominem item pannosum einen Silzichten Hunde.

Vide quàm egregium habeas nomen, quàm egregie tibi competat: Hæc interea de scommatis in me eructatis sufficiant; nunc quomodo senum partes agat & nostram assertionem impugnet videbimus, ejusque argumenta omnibus ut satis fiat curabimus.

Hoc illud fortissimum quod non tam facile diluetur scilicet, experientiam testari, Senes citius & feliciter interdum generare quàm juvenes. O si plures adsint hujusmodi notæ objectiones, non vulgare quid ex illis acciperent Logicæ studiosi. Manifeste autem hic petit principium garrulus noster disputator & Cretensis personam adsumit. Hoc, quod profert, si iterum probabit, tunc, œdam & credam. Et posito quòd interdum hoc fiat, perrarò tamen fit.

Iura verò respiciunt ad ea, quæ frequenter accidunt, non quæ perrarò *l. ex his ff. de LL.* Et posset etiam res explicari per vulgatam regulam: Quod quis per alium facit ipse facere videtur. *c. qui per alium de R. l. in 6. l. si per alium ff. ne quis eum qui in jus voc. l. si quis id §. per. ff. de Jurisd. omn. jud. l. 1. ff. de eo per quem fac. l. liber homo ff. ad L. Aquil. l. 1. §. de jecisse ff. de vi & vi arm. l. eos in fin. C. de usur.* Unde Fulgositius acris iudicii vir *cons. 212*, inquit: fieri quidem aliquando posse, ut senex generet: nolle tamen se id credere, nisi manifestissimis, evidentissimis, & indubitatis præsumptionibus doceatur. Hoc ego vix iteravero audiente aliquo Nigro viro, aut propugnvero in præsentia Catonum rigidorum & frigidorum.

Ulterius progreditur Blennus, neminemque adeo senem esse dicit, qui non aliquando calere possit. En na-

utrumque ostendit. *Deum* *etiam* *etiam* *etiam*
futulum philosophum, in physicis non malè versatum.
Cape vero unum nummum à me, jube te piari homo in-
sanissime. Disce (ne erubescas) à me, non sufficere inca-
lescentiam, sed feminis quoq; requiri tonitatem. *Arrius*
de jur. cons. c. 2. sect. 4. Tertium movet oculatus Argus
argumentum, sed eo nihil promovet profert enim exem-
plum Davidis 2. Reg. 1. Sunamitidem in matrimonium
ducentis. Ex his apparet Biblia te probè legisse. Nec mi-
rum Tota enim tua gens religiosa. Debuisset autem tibi
tanquam egregio LL. studioso nota esse *l. nemo c. de sent. &*
inter loc. omn. judic. in quâ scriptum reperitur, Non exem-
plis sed legibus esse judicandum. Unde egregie Demosthe-
nes *in orat. contra Aristoor.* inquit: Impudens oratio est di-
cere, sic factum est & Aug. *l. 1. de civit. DEI c. 23.* Non mo-
do quærimus utrum sit factum, sed utrum fuerit facien-
dum. Et habuerant quoq; sancti DEI suos nævos, qui à no-
bis non imitandi, sed contegendi charitatis velamento.

Deniq; profert *legem 27. c. de nupt.* Tandemne legalis
te adflavit caurus? tandemne ex profundo juris oceano
in quo supra quinquennium natasti, aliquam expiscatus
es, quam nobis opponeres, legem? Ast, mi Legista, intuere
l. semper ff. de reg. Jur. l. semper ff. de rit. nupt. & quid tuæ
objectiunculæ reponendum mox perspicias. His ita probè
consideratis deploranda est quorundam parentum im-
prudencia, qui filias juveneculas senibus exsolvendo debi-
to maritali imparibus in matrimonium concedunt, re-
spicientes forsan ad auctoritatem vel opes virorum. An-
nuunt sæpe filia & parentum voluntatem coactæ sequun-
tur nunquam tamen tam fixè maritos amant, quin sæpe
juvenes Palestræ veneræ aptos, in cypriæ Regina hor-
tum intromittant, imò ad sitim libidinis restinguendam
quam

quamvis adeant lacunam: & ita prohi scelus, multi matri-
monium contrahunt, ut sub honestatis velo licentius
scortentur libidinibusq; indulgeant uti merito exclamat
magni parentis egregius filius, præstantissimus juvenis
Georgius Conradi F. Rittershusius *in tract. de osculis sect. 10.*
Exsecranda vero senum decrepitorum infirmitatem suam
sentiētium, & tamen juvenculas puellas in matrimonium
ducentium impudentia atq; amentia. Indigni illi quibus
adjungantur istæ Helenæ & domi serviant: sed digni quos
illæ decipiant & cornutos quasi cervos reddant. *Æneid.*
Sylv. in bistr. Eurial. & Lueret.

Non valet hîc illud, teritur quod plebe fre-
quenter

Cum desunt vires, velle tamen satis
est.

Fæmina crede mihi, quærit sibi pabula
grata

Et nisi repperiat, tunc aliunde capit.

Suaviter haud thalamo saturatur virgo se-
nili

Namque riget nimium, friget & iste
nimis.

Vos ergo procul hinc, procul hinc discedite
inermes

Quorum jam frontem ruga senilis
arat.

Hoc.

maintinur effortu *Dom* *an* *tim*

Hoc agite senes, quod vobis monstrat natura, quod injungit divinum præceptum, quod suadet è propinquo periculum. Divina meditamini, & quæ sunt juvenum, juvenili ætati relinquite, *verba cl. Arnisei in tract. de jur. conn. c. 2. sect. 4.* Lubet nunc antequam à me claudatur hic discursus te, ô parvissima (cum Lucretio & Varrone loqui mihi liceat) muliercula seni juncta, alloqui verbis clarissimorum politicorum Cæsaris atque Arnisei: Quid, quæso, in sene tuo decrepito invenisti delectabile? caput nigrum & plicis infernalis deturpatum, caperatam frontem, os edentulum, pediculosam in labiis barbam, pro oculis foramina, in toto vultu morticinum squalorem & livorem saniosum vide. En manus tremulas, pedes vacillantes, en aures obtusas durasque vocanti, tibi imprimis, en stillantes nares, en murrhâ gravius olentes, en truncum corporis, en saccum putredinis, en formosum Narcissum. Si osculeris, fætet anhelitus: si amplectaris, movetur ut lapis; si vocites, responderet ut tussiens ovis, accurrit ut querquetum plaustrum, expedit imperata ut cancer venaturus cervum, adeoque viva mortis imago in tuis ulnis jacet. Abi ergo cum tuo comuto viro, & Proserpinæ

ictus

ictus expecta. Vos vero reliquæ ætate floren-
tes, amabilitate præstantes, venustate excellen-
tes puellæ, amorem erga juvenes custodite, ut
gryphes aurum in Riphæis montibus, & con-
tra quoslibet Gesclitronis Arimaspos defendite,
vobisque à nigris senibus crumenam ære pres-
saram monstrantibus & Plutum adorantibus
cavete. Latet angvis in herbâ.

Valete.




do

Dilectum, tandem quo redhibere lens.
scopus non Venus subest discere lacris.
in hunc esse strigibusque lens.
sed non in hunc lingua, non figurata cur.
Accipere la. prima digna lens;

Non

ms



πρωτοφωνοις

Ad

Dn. **SAMUELEM NEAN-**
DRUM.



Ngenii lusus non est, sunt seria certè,
In sycophantæum dicta referre ca-
put.

Eumenis edocuit diris scelerata cachinnis
Ludere, mens cui non lædere voce fuit,
Dignus qui scuticis capiatur tot verbera, verbis
Invasit famam quot sycophanta tuam.
Non deêrunt iterum lanient qui dente nefan-
do
Discursum, gaudes quo redhibere senes.
Ecquis non Veneris iubeat discedere sacris.
Viribus effætos frigidulosquè senes?
Sed tu non morsus linguæ, non stigmata cura,
Accipient factis præmia digna suis:

Non

Non deerunt eutem tua quæis conamina cor
di,
Felicis tribuant laudibus ingenii.
Et juvenes laudum certatim munera solvent
Serta puellarum turba tenella dabit.

BARTHOLOMÆUS GEHLERUS
Gorl.

F I N I S,



non debeat quoniam tua quis conamina con

di

Et sic tribus in laudibus ingent


Et juvenes laudum certam numeris solvent

Seta puellarum turba cuncta dabit

BARTHOLOMAEUS GHEERLUS

Golt.

F I N I S



Jd 7121

ULB Halle 3
004 185 420




f
Sb.

Stk. 13 / 14 / 19 = ZDB-Auftr.

ZDB ✓
Retro ✓
VOA ✓

Com





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

33 an 48 41201

NEANDRI
HIACI

GIO SE-

ORUM CUM JU-
UCCIPLNIS

RSUS

JURIDICUS
fitus

ta hominis VINCENTII
alias

P. C. S.

6. connub.

num infortunium.

) 355555
0-150

NO

XXI

